

puitionis, aut alicujus similis specialis indignitatis: et *num.* 7. subdit, non esse necesse, ut praedicti amentes tempore usus rationis petierint expresse Eucharistiam, sed sat esse in sanitate debitis temporibus eam sumpsisse, vel vixisse non immemores, suae spiritualis salutis; et *num.* 6. tenet energumenis, seu daemonicis, non esse negandam Eucharistiam, si alias habeant sufficientem dispositionem. Vide alia ad hanc materiam utilia apud Barbos. *dict. part. 2. cap. 20. num.* 43.

§. XI. Iis etiam, qui propter aetatis imbecillitatem, nondum hujus Sacramenti cognitionem, et gustum habent, administrari non debet.

103 104 Quamvis praeceptum sumendae Communionis obliget omnes fideles utriusque sexus postquam ad annos discretionis pervenerint, attamen certa aetas definiri non potest, in qua Pueri, et Puellae ad hoc Sacramentum idonei sint. Patrum, et Confessariorum prudentiae id relinquitur: alii ad nonum, alii ad decimum annum perducuntur: alii sunt praecoces, alii segniores, Barbos., *dict. num.* 18. S. Carolus *Act. p.* 4. ait, grandiusculis, qui tunc primam Communionem sumere voluerint, non praebendam esse, nisi aliquot ante diebus Parochus eos examinaverit, atque instruxerit de vi, et ratione tanti Sacramenti.

ORDO

MINISTRANDI SACRAM COMMUNIONEM.

TITULUS VICESIMUS QUARTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Sacerdotibus competit ordinaria potestas ministrandi Eucharistiam.
- 2 Cur Eucharistia vocatur Sanctissima?
- 3 Eucharistia quid significet?
- 4 Hostia est Panis consecratus.
- 5 Quare vocetur Hostia?
- 6 Azymus Panis idem ac Hostia.
- 7 Hostia semper formae rotundae.
- 8 Particulae quandoque vocantur Hostiae.
- 9 Panis integer consecratur et dividebatur in frusta.
- 10 Christus consecravit integrum Panem.
- 11 Bucella intelligitur pro Particula Panis.
- 12 Numerus Particularum consecrandarum.
- 13 Vasa praeparanda pro purificatione.
- 14 Purificatio non est praebenda Communicatis in Calice.
- 15 Purificatio distribuitur per ministros.
- 16 Linteum album extendi debet ad scabellum.
- 17 Sudariolum Altaris pro tinteolo quandoque adhibetur.
- 18 Planeta, et ejus pars quandoque adhibetur.
- 19 Loto manuum necessaria ante administrationem Eucharistiae.
- 20 Suscipientes Eucharistiam lavabant sibi manus.
- 21 Clerici lavent sibi manus antequam induant Cottam.
- 22 Cotta, et Stola est propius habitus Ministri Sacramentorum.
- 23 Color albus color Eucharistiae.
- 24 Altaria minora in feria V. Major. Hebdomad. parentur violaceo colore.
- 25 Communio infra Missam fieri debet cum habitu coloris convenien-
- 26 Color albus quid significet?
- 27 Processio Corporis Christi in colore albo facienda.
- 28 Clerici describendi sunt Ministerio alicujus Ecclesiae.
- 29 Clerici inservire debent veste candida.
- 30 Laici adhibere non possunt superpellicem ubi sit penuria Clericorum.
- 31 Manus junctae quid sibi velint?
- 32 Sacramento in Tabernaculo sufficit lumen lampadis.
- 33 Quando patet Eucharistia, alia lumina accendenda.
- 34 In Communionem saltem duo Cerei accendendi.
- 35 Genuflexio est adoratio.

- 36 Corporale quid sit?
- 37 Defertur in sua Bursa albi coloris.
- 38 Clericus defert Bursam, et Clavam.
- 39 Cur adhibeatur corporale in ministerio Eucharistiae?
- 40 Operculum Pyxidis deponendum supra corporale.
- 41 Confessio sit ad salutem.
- 42 Professio Fidei sit ab uno, nomine plurium.
- 43 Cornu Epistolae est dextera pars Ecclesiae.
- 44 Genuflectere est actus adorationis.
- 45 Terga non sunt vertenda Sacramento.
- 46 Misericordia Dei per novam legem derivata.
- 47 *Misereatur vestri* dicitur etiam uni communicuro.
- 48 *Indulgentiam, etc.* est modus impetrativus.
- 49 Reversio accipitur pro novo accessu.
- 50 Minor accedens ad majorem debet praestare actum reverentiae.
- 51 Particula supra labrum Pyxidis elevatur.
- 52 Reverentia habenda est Sacramento praesenti.
- 53 *Domine non sum dignus*, genere mutari non debet.
- 54 Dicitur per tres vices ad humilitatem demonstrandam.
- 55 Particulam primam ministrare non tenetur Sacerdos.
- 56 Communio inchoanda est a parte Epistolae.
- 57 Laici intra Presbyterium permanere non debent.
- 58 Clerus convocandus est in Presbyterio.
- 59 Presbyterium idem est ac Chorus.
- 60 Magistratus majores promo communicandi sunt.
- 61 Praeeminentia in communicando.
- 62 A Laicis Clerici distingui debent.
- 63 Sacerdotes cum Stola commuicandi.
- 64 Alias peccarent.
- 65 Manus communicantis in formam crucis componendae.
- 66 Signum Crucis cum particula non debet excedere labia Pyxidis.
- 67 Sub una formula non sunt communicandae plures personae.
- 68 *O Sacrum Convivium*, Antiphona composita a S. Thoma.
- 69 *Alleluja* versiculus laetitiae quid significet?
- 70 *Dominus vobiscum* quid significet?
- 71 Orationes sunt juxta diversitatem temporum.
- 72 Sacerdos debet advertere fragmenta inter digitos.
- 73 Purificatio digitorum facienda.
- 74 Ablutio sumenda praecipitur.
- 75 Pyxidis purificanda a fragmentis.
- 76 Aditus ad Tabernaculum a quocumque haberi non debet.
- 77 Benedictio danda populo post Communionem.
- 78 Communio regulariter intra Missam facienda.
- 79 Collectae Missae pro Communicantibus sunt.
- 80 Communio differenda unice ob taedium expectantium finem Missae.
- 81 Vel si non adsint necessarii Ministri.
- 82 Pyxis cum Particulis consecratis non transferenda.
- 83 Particulis supra Patenam positis communicare incommodi est.
- 84 Post Sacerdotem Diaconus communicandus, etc.
- 85 Benedictio in Missa Defunctorum non danda.
- 86 Communio in Missis Defunctorum non esset distribuenda.
- 87 Sacerdos celebrans non debet se expoliare ut alios communicet.

Eucharistiam rite, et recte ministraturus Sacerdos, ea non tantum, quae in antecedenti Titulo praescripta, et exposita sunt, animadvertere debet, sed quaecumque etiam in praesenti Titulo explicanda erunt, quae illi inservient pro recta praxi ministerii sui; nunquam enim satis edoctus sibi ipsi videbitur

si granditatem, et excellentiam hujus Sacramenti perpendet. Itaque in praesenti titulo exponitur Ordo ministrandi Sacram Communionem, non in quocumque casu, sed tantummodo ad Altare, et Fidelibus ad Ecclesiam convenientibus. Subinde in alio Titulo erit Ordo tenendus in ministrando Sacratissimo Viatico Infirmis, quae ministratio indiget peculiaribus animadversionibus; non enim idem est ritus in utraque administratione.

§. I. Sacerdos igitur Sanctissimam Eucharistiam ministraturus, hostiis, seu particulis pro populi multitudine consecratis, Vasculoque uno, vel pluribus, decenti, et commo loco expositis, cum Vino, et Aqua ad purificationem eorum, qui communionem sumpserint, et ante eos, linteo mundo extenso, lotis prius manibus, et superpelliceo indutus, ac desuper stola coloris officio illius diei convenientis, praecedente Clerico, seu alio ministro, procedit ad Altare manibus junctis, et accensis cereis, facta prius, et postea genuflexione, extrahit Pyxidem, et illam super corporale depositam discooperit.

1 Sacerdotibus quibuscumque, ex Christi institutione, competit ordinaria potestas ministrandi Sacram Eucharistiam Cristiano populo, et desumitur *ex cap. pervenit, de consecr. dist. 2.* et ex Conc. Thid. *sess. 13. c. 8.*

2 3 Eucharistia vocatur sanctissima ad differentiam aliorum Sacramentorum, quae vocantur simpliciter sancta, quia in se continet Sanctum Sanctorum et Sacramentorum institutorem Christum Deum, Scot. *in 4. dist. 8. q. 1.* Ideo significat Bonam gratiam ex etymologia graeci verbi, quo componitur, et ratione, quia continet realiter Christum, qui est plenus gratia, D. Th. *3. p. q. 73. art. 4. Gloss. in Clem. 1. de priv. verb. Eucharist.*

4 Haec Eucharistia in Hostia continetur, quae est Panis consecratus, et ita vocatur Eucharistia, quia Christum continet, qui tanquam Hostia immolatus fuit. Catech. Rom. *de Sac. Euch. sect. 3.*

5 Cumque Missa sit sacrificium, offertur sub specie immaculatae Hostiae, ideo id, quod offertur, vocatur Hostia, ab Hoste victo dicta: nam post obtentam inimicorum victoriam offerebatur. Macri *Heirolex.*

6 Inter Christianos dicitur Hostia tam ea quae in Panis

substantia adhuc contenta, pro Eucharistia praeparatur; quam etiam jam consecrata, et in Corpus Christi transubstantiata: et praeparanda est de Azymo apud Latinos, quod in fermentato fit a Graecis.

7 Antiquitus materia ex Azymo, qua utitur Ecclesia Latina in consecratione Eucharistiae, vocabatur Oblata, quia a Fidelibus offerebatur, ut ex c. 1. *Conc. Arelaten. V. Card. Bona, Liturg. l. 1. c. 13. n. 10 et 11.* advertens ibidem Oblatas semper fuisse formae rotundae: Atqui communiter in recentioribus saeculis denominari Hostiam refert super allegatus *Mari d. l.*

8 Hostiae nomine vocabantur etiam particulae consecrandae. Cleric. *de Euch. dec. 11. num. 26.* et sunt parvae Hostiae ita efformatae ad commoditatem tum ministrantium, tum suscipientium.

9 10 11 Antiquitus non consecrabantur tenuis particula Panis, ut in praesenti, sed integer panis, qui postea frangebatur in frusta (unde Particulae originem habuere) et ea debantur manducanda communicantibus, ut ex *Conc. XVI. Tolet. cap. 6.* deducit *Card. Bona, dict. lib. 1. cap. 23.* ubi subdit, Christum, non Particulam Panis, sed integrum Panem accepisse, et consecrasset, atque ex eo Particulas confregisse, quas discipulis distribuit, *Clericat. dict. dec. 58. num. 2.* Buccellae etiam appellantur Particulae, unde S. Joannes de ultima Coena loquens, *cap. 13.* ait: *Et post Buccellam intravit in Judam Satan.* Deinde: *Cum ergo accepisset ille Buccellam, exiit continuo.* Quae Buccella communiter intelligitur pro particula Panis consecrati.

12 Populi multitudini insuper habenda est ratio in consecrandis Particulis. Diximus alibi, numerum Particularum correspondere debere numero Infirmorum; sed in consecrandis Particulis debent considerari etiam solemnitates majores infra annum occurrentes, et concursus Fidelium ad Sacram Communionem suscipiendam; quem concursum prudens Parochus praevidere debet, et ita numerum sufficientem Particularum consecrare, ne in majori concursu desint.

13 14 15 Paratis Particulis, duo Vasa praeparanda praecipit Rubrica ad purificationem Fidelium post sumptam Eucharistiam: unum Vino, alterum Aqua plenum, non eo quia ex ambobus sumere debeant Fideles, sed ad hoc, ut, cui magis libeat, accedant: sunt enim qui a Vino abstinere solent. Ita purificatio post Communionem Calicibus non est praebenda, sed Vasculis diversis habendis in Sacristia ad hunc, et non ad alium usum adhibendis, et servandis. Duo Ministri ad latera Ecclesiae stabunt porrecturi purificationem decenter, ne communicati terga vertant Sacramento, ut laudabiliter praecipit S. Carolus, *Act. p. 4. T. 2. pag. n. 606.*

16 17 18 Sequitur Rubrica de linteo mundo verba faciens. Quando *Passevinus d. c. 5. num. 13.* dicit, quod petere Communionem est *astare linteo Altaris*, intelligit exposito ad scabellum, seu cancellum pro Communionem suscipienda. Regula haec est prudentissima, et necessaria, quia cum facile possit dari casus, quod aliqua Particula e manu Sacerdotis, seu e Pyxide labatur, non in terram cadat, sed in suppositum linteum. S. Carol. *ibid. Instruct. pro ministr. Euchar.* aliam regulam tenendam docet, quae est hujusmodi: Duo ministri, alter a Sacerdotis dexteris, alter a sinistris sit, qui ambo pannum ex lino Pyxidi, ejusque manibus, qui Communionem porrigit, et mento eorum, qui excipiunt, supponant; ne extra mapam aliqua particula, fragmentaque, qualicumque accidenti, decidant. Porro ii cum hac mappa, non adhibitis aliunde scamnis, aut mappis, sive intra Missarum solemniam, aut cum ad Altare, decem, aut duodecim tantum communio fiet, sufficient. Solent nonnulli etiam sudariolum Altaris suscipere, seu extremitatem casulae, vel manipuli Sacerdotis ministrantis accipere, et mento supponere tunc quando non ad scabellum, sed ad Altare fit communio, qui usus non laudabilis est, praecipue si Foeminae sint quae ita faciant.

19 20 21 Insuper manuum lotio praecipitur. Si haec lotio requirebatur apud suscipientes, ut ex antiquis demonstravimus alio loco, multo magis necessaria est ministrantibus, qui digitis tractare debent Eucharistiam. Lotio hujusmodi non debet esse superficialis, sed accurata, adeo ut sordes in manibus non appareant, neque in unguibus. Intelligitur hoc tamen de administratione Eucharistiae extra Missam, quia inter Missarum solemniam, Sacerdos jam lotus est suo tempore, nisi tamen per accidens, aliquam sordem de novo contraxerit non adhuc lotam. Illud verbum *prius* Rubricae non excludit, quod non sint lavandae manus etiam post Sacramenti tractationem, quod praecipit S. Carolus *Act. 1.* etiam Clericis priusquam Cottam induant.

22 23 24 25 26 27 Superpelliceum, et Stola propriae indumenta sunt ministrantium Sacramenta, ut alibi diximus in principio horum Commentariorum, sed de Stolae colore modo hic aliquid superaddendum. Praecipit Rubrica in hoc paragrapho, ut color stolae sit conveniens officio illius diei. Color albus proculdubio est praecipuus, et conveniens color in administratione Eucharistiae. Ita qui de Eucharistia scribunt, affirmant; et recenter Hippolytus a Portu Soc. Jesu, olim dilectissimus praeceptor meus in ejus libro *de cultu Dei, et Hominum*, p. 3. c. 1. ubi de Missa solemnem in Feria 5. Coenae Dominicae tractans *num. 18.* quaerit, an tali tempore Ecclesiae Altaria minora violaceis parentur paliis? et respondet affirmative, rationem subdens: quia *in illis Altaribus cessat ratio co-*

loris Albi, nempe celebratio Missae de Venerabili. Igitur color Albus est color pro Venerabili administrando. Huic opinioni adstipulatur S. Carolus. *Prov. 1. p. 1.* loquens de hoc Sacramento ministrando alio post tempore, quam in sacrificio Missae, et dicit: *Superpelliceo, stolaque alba (et ubi ritus Ambrosianus est rubra) utatur.* Ex quo patet etiam necessaria diversitas horum colorum, ob distinctionem Ritus Romani a Ritu Ambrosiano. Rubrica vero nostra nimis clare loquitur contra hunc Ritus, dum dicit, debere Sacerdotem induere Stulam convenientem colori Officii illius diei, adeo ut color Albus non admittatur nisi diebus, in quibus albo colore utitur Ecclesia universalis. Ratio hujus praescriptionis penitus me latet, et dubito, debere intelligi de Communionem infra Missam faciendam quia vere tunc Sacerdos utitur colore officii illius diei, nec sumit colores diversos, deponendo primam casulam, sed vestitus remanet eo colore, cum quo missam inchoavit. Porro id a quo in mea opinione confirmor, est natura coloris albi, de quo Gavant. *p. 1. t. 18.* dicit significare gloriam, gaudium, et innocentiam. Insuper eo colore Ecclesiam uti in Coena Domini propter confectionem chrisimatis, addens, vestem coenatoriam Christi fuisse albi coloris ex Baron. in Festo Corporis Christi, et in Processione cum Eucharistia. Haec omnia firmant rectum usum coloris Albi, a quo si quis recederet, demonstraret non intelligere naturam, et effectus hujus Sacramenti. Insuper cum administratio Eucharistiae non sit pars officii, non video cur cum Officio debeat concordare. Nihilominus standum esse iudico Instructioni ultimo emanatae, nempe anno 1705. de mandato Sanctissimi Papae Clementis XI. circa Cratorem 40. Horarum, ubi ad *n. 11.* habentur haec verba. *Il celebrante dovendo portare il Santissimo in Processione sarà vestito con Piviale bianco, quando non abbia celebrato con paramenti d' altro colore, che in tal caso continuerà il colore della messa.* Quod est contra opinionem Bauldrii *p. 3. c. 7. num. 7.* relatam a Fagiol. *Kalend. perpet. Rational. Mense Junii adnot. 4. §. †. Il Ceremoniale etc. In festo Corp. Christi.*

28 29 30 Nodo de ministris secundariis. *Praecedente Clerico. seu alio Ministro, etc.* Ad hunc finem praecipit Conc. Trid. *sess. 23. cap. 6. et 16. et Concil. Rom. tit. 6. c. 2.* ut nullus clericali tonsura initietur, nisi eodem tempore alicui Ecclesiae adscribatur; pro cuius servitio debet ordinari, de his diximus in *Tit. 1. hujus Ritualis*, ubi nota cum S. Carolo, quod isti Clerici debent inservire induti superpelliceo mundo. Si vero penuria sit Clericorum, Sacerdos adhibeat Ministrum Laicum, prudenti arbitrio eligendum, non tamen superpelliceo indutum cum haec sit vestis tantummodo Clericalis.

31 Cum istis ministris procedit Sacerdos Ad altare mani-

bus junctis. Intellige ad Altare, in quo adsit Tabernaculum cum Pyxide particularum consecratarum. Manus junctae tenentur humilitatis gratia, et devotionis, Gavant. *d. p. 1. t. 3. lib. E.*

32 33 Quo vero ad lumina, de quibus ait Rubrica: *accensis cereis*, Sacramento Eucharistiae in Tabernaculo clauso sufficit lumen ex lampade ardens, ut alibi diximus, non vero sufficit ad venerationem ejusdem Sacramenti e Tabernaculo extracti: ideoque, sicuti quando celebrans Missam, ad Canonem perductus, et ad consecrationem, videt lumina diversa accendi prope Altare, quia Eucharistia tunc patet; ita cum illam debeat e Tabernaculo extrahere, et Fidelibus distribuere, nova lumina accendere debet; nec sufficit lampas, quantumvis bino, vel terno, vel multiplici lumine ardens, nam istae lampades destinatae sunt ad Cultum Eucharistiae repositae, non expositae.

34 Quamobrem ex praecepto nostrae Rubricae sufficit, ut duo cerei accendantur in hoc casu Communionis *Act. part. 4.* ubi notandus est mos tunc vigens in Dioecesi Mediolanensi, tenendi cereum ardentem a quocumque communicari volente, qui cereus postea tradebatur Ministro ad utilitatem Ecclesiae.

35 36 Priusquam Sacerdos extrahat Pyxidem, genuflectit: ista genuflexio et adoratio, istud *prius et postea* intelligi debet, aperto Tabernaculo, et extracta Pyxide: prima genuflexio primo, et secunda secundo loco.

37 38 Nulla usque modo facta est mentio de Corporali: sed ne videat repetere id, quod doctissime scribit de illo Gavant. *p. 2. t. 1.* ad illum Doctorem Lectores meos remitto: unum hoc tantum subdens, debere Clericum inservientem Sacerdoti in administratione Eucharistiae deferre hoc Corporale in sua Bursa albi coloris inclusum, et illam cum pervenerit ad Altare, tradere Sacerdoti, qui extrahat e Bursa, et super Altare explicet illud. Simul et clavem Tabernaculi deferre debet, et pariter Sacerdoti tradere, qui aperiat illud. Si vero Minister non sit Clericus, tunc Bursam Corporalis et simul Corporale, et clavem decentius est, ut deferat secum Sacerdos ministraturus.

39 40 Igitur super corporale deponi debet Pyxis cum particulis consecratis, et ratio est, quia in administratione hujus Sacramenti quaerenda est major mundities de mundo. Tobaleae utique Altaris debent esse mundaes, sed cum expositae sint pulveri, et aliis rebus, quae de facile deturpant illarum caudorem, Ecclesia novum hoc indumentum, seu receptaculum invenit, quod cum fere semper clausum in sua Bursa maneat, ideo candidus, et mundus est ipsa Tobalea. Ratio vero moralis est quia repraesentat Syndonem Christi, linteamina, et Suda-

rium presertim capitis Christi, Alcuin. *cap. 2. de celebr. Missae.* Deposita Pyxide, illam discooperit, lento modo, non praecipiti, ne Particulae e Pixyde ruant, tunc quando praesertim in magno numero sunt. Operculum deponere debet super corporali, post Pyxidem, non in multa distantia, ut commode illud reasumere valeat suo tempore post communionem. Ratio cur deponatur supra corporale est, quia cum sit Vas Sacrum, in eo esse possunt facile aliqua fragmenta particularum consecratarum.

§. II. Minister genibus flexis, nomine populi ad cornu Epistolae facit Confessionem generalem, dicens, *Confiteor Deo omnipotenti, etc.*

41 42 Confessio fit ad salutem, inquit Apostolus, *Roman.* 10. necesse igitur est, ut haec confessio praecedat salutem provenientem a Christo, per quem salvati, et liberati sumus. Fit haec confessio ab uno tantum fidei, nomine singulorum communicare volentium, quia alterna confessione mundamur, ut inquit Hugo *in spec. cap. 3.* allegat. a Gavant. *p. 2. cap. 17. num. 12.* Ita in Synodo, nomine plurimorum, fit ab uno confessio Fidei de suggestu, Gavant. *Præ Synod. part. 2. §. 2.* et facta hoc pacto, valet pro cunctis.

43 Cornu Epistolae est dextera pars Ecclesiae intrantibus in eam, Gavant. *dict. p. 2. t. 6.* Ibi fit Confessio, quia illa est pars poenitentium, et ob alias rationes quas affert Clariss. Paulus Medici in libro *Mysteriorum Missae.*

§. III. Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis ante pectus, vertit se ad populum, (advertens ne terga vertat Sacramento) et in cornu Evangelii dicit *Misereatur, etc.* et addit, *Indulgentiam, absolutionem, etc.*

44 45 46 47 Genuflectit iterum quasi veniam petens de se ad populum convertendo, Christo in Eucharistia sibi vicino; actus enim urbanitatis est, et adorationis. Haec conversio ad populum tali advertentia haberi debet, ut nullo modo terga vertat Sacramento, et actum irreverentiae committat. Ideo a parte Pyxididis convertere debet faciem, et semicirculum efformare, ita ut nec omnino ad Altare conversus dicatur, nec omnino ad populum. In cornu Evangelii dicit *Misereatur,*

eo quia misericordia Dei per Evangelium, et novam legem nobis a Christo derivata est, Alcuin. *d. l.* Porro sicut in Missa, uno tantum praesente, dicitur *Misereatur vestri*, ita etiam uno tantum communicaturo dici debet *vestri*, non *tui*; haec enim verba cadunt super alios praesentes, communionem spirituali communicaturos, Gavant. *d. t. 2. p. 10. litt. f.*

48 Insuper *Indulgentiam* addit, quae est absolutio generalis a Deo impetrata, non collata a Sacerdote: non enim ipse dicit: *Ego vos absolvo*, sed *Indulgentiam, absolutionem, et remissionem, etc. tribuat vobis Omnipotens, et misericors Dominus*, qui modus est magis impetrativus, quam imperativus, cujusmodi est in Sacramentali absolutione a Confessario facta, quando dicit: *Ego te absolvo, etc.*

§. IV. Dicens, *Indulgentiam, etc.* manu dextera in forma Crucis signat Communicandos, etc.

Eodem modo, quo fit a Sacerdote in absolutione Confessionis Sacramentalis: quamvis enim haec proprie non sit absolutio, nisi impetrative sumpta, attamen cum sit aliquo modo talis comitari debet suis formalitatibus.

§. V. Deinde ad Altare se convertit, genuflectit, manu sinistra Pixidem prendit, et duobus digitis, pollice et indice, Sacramentum accipit, et elevat.

49 50 Eadem via, qua se convertit ad populum, revertere debet Sacerdos ad Pyxidem, et genuflectere ob adorationem, quia accipitur ista conversio, seu reversio pro novo accessu: et quotiescumque minor ad majorem accedit, debet huic actum reverentiae, et obsequii.

51 Manu sinistra Pyxidem accipit, quia manu dextera ministrare debet, ideo non est impedienda. Inde Sacramentum elevat, sed parum: sufficit enim, ut particula supra labrum Pyxididis elevetur, ad hoc ut a circumstantibus videatur dum dicit: *Accipe agnus Dei, etc.* nam illud *Ecce* ad demonstrationem dicitur.